



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. IV. An maneat antiquata sententia docens, leges Pontificias non
obligare, nisi ubi promulgatæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

promulgatum. Resp. primò negando antecedens; quia omnes propositiones etiam veritates circa materiam juris humani sunt vetitæ, quia scandalosæ: ergo datur lex naturalis obligans eas non sequi, etiam ubi Decretum non est promulgatum. Secundò, licet hoc nostra ratio non convinceret, quod tamen est falsum, attamen hoc convincit ratio sextæ conclusionis.

N. 68. Sexta conclusio probatur: quia ex una parte non est de essentia legis, nisi promulgatio, non autem promulgatio ubique, ut ubique obliget: sed data promulgatione Romæ, datur promulgatio: ergo datur quidquid requiritur, ut obliget non existentes Romæ, sed alibi: ex alia parte conitatur, Decreta Tridentini non tantum quatenus declaratoria, sed etiam quatenus legislativa, tam circa materiam fidei, quam morum, non fuisse ubique promulgata, & tamen certum est ubique obligare etiam in Regnis, ubi non fuit receptum: (idem dicito de alijs legibus Ecclesiæ circa res ex se indifferentes, ut notat P. Palao:) ergo Decreta Pontificia ut legislativa ubique obligant, etiam ubi non sunt promulgata, etiam circa materiam indifferentem.

P. Pala. Confirmo primò ex P. Moya n. 21. & ex eo Torrec. Omnes censuræ ab eadem potestate descendunt: ergo sicut, si Papa declarasset eas propositiones hæreticas, teneretur quilibet hoc sciens credere, esto in loco, quo vivit, non fuisset facta promulgatio; ita etiam, dum declarat scandalosæ, esto in loco, quo vivit, promulgatio facta non sit. Alias rationes vide apud P. Suar. n. 7. & P. Salas l. c.

N. 69. Confirmo secundò ex P. de la Fuente. *disf. 1. n. 133.* postquam enim sibi objecit, quòd, ut Papa obligaret interius ad assentiendum censuræ, vel saltem ei non dissentiendum, suoque iudicio; in his tamen Decretis Pontifices non præcipere, ut eorum iudicio, & censuræ acquiescamus, sed tantum, ne doceamus, aut prædicemus damnatas, atque adeo liberum nobis videri discrepare à iudicio Pontificum, putando non esse scandalosæ, esto nobis liberum non sit eas docere: postquam, inquam, hæc sibi objecit: Respondet, quòd ad inducendam præcisam obligationem acquiescendi iudicio Pontificis, non est necessarium ullum præceptum positivum ipsius, immò nec est sufficiens; quia positiva præcepta Pontificis virtute sua ad actus merè internos non possunt obligare, quales sunt assentiri, aut dissentiri: quare obligatio, quæ hic datur, supposita censuræ Papæ, non est juris humani, sed

Divini obligantis, ut intellectus assensum suum captivet in obsequium Supremæ Autoritatis, quæ obligatio resultat statim ac Pontifex aliquam doctrinam damnat. Plura apud eundem.

Dices: Leges Civiles non obligant, nisi N. ubi promulgata: ergo neque Decreta Pontificia. Nego consequentiam: quia illud determinavit Jus Civile, quod quia totum est in politicâ exteriori, iudicavit hoc convenientius: oppositum determinat Ecclesiæ, & probat experientia; nam Ecclesiæ regimen, cum sit pro foro interiori, hoc potius, quam ceremonias externas attendit. Adde promulgationem ubique esse tantum conditionem à Jure Civili exigitam, non autem de essentia illius.

§. IV.

An maneat antiquata sententia docens leges Pontificias non obligare, nisi ubi sunt promulgata?

SUMMARIUM.

Quid opinio antiquata? n. 71.

DD. affirmantes, ibid.

Non placet ratio P. Cardenas, n. 72.

Decretum Urbani circa stipendium Missæ, ibid.

Non est antiquata, n. 73. 74.

Papa declarat, & legem fert in his Decretis, ideo illis standum, tum ex lege naturali, tum ex Fidei præcepto, n. 75.

Pater Carden. (quem sequitur Filg. in N. Censurâ pag. 26.) tom. 1. d. 9. cap. 20. art. 71. citat viginti duos AA. (quibus addo P. Card. Gibal. & Mastrum,) & tom. 4. *disf. 1. a. n. 199.* utroque loco movet hoc dubium, & resolvit, quòd hæc opinio modò est antiquata, seu improbabilis, cum antea fuerit probabilis. Hoc autem ita probat: Ea propositio dicitur antiquata, quæ cum antea videretur probabilis, modò tamen habet contra se principium certum: sed hæc opinio, *Leges Pontificias non obligant, nisi ubi promulgata*, quæ antea erat probabilis, modò habet contra se principium certum, nempe Decretum Alexandri VII. *Alex. VII.* damnantis hanc propositionem, *Potest Sacerdos licet, tum duplex stipendium pro una Missâ accipere, tum per alium Sacerdotem satisfacere, collatâ illi parte stipendij, aliâ parte sibi retentâ; & hoc utrumque etiam post Decretum Urbani VIII. qui utramque propositionem damnaverat: ergo ea opinio est antiquata.* Minor probatur: quia DD. tuentes etiâ post Decretum Urbani duas damnatas citatas, eo principio ducebantur, quia leges Pontificiæ non obligant, ubi non sunt promulgata, cum

cum autem in Hispania dictum Decretum Urbani non fuerit promulgatum, inferebant, adhuc post Decretum Urbani, licere, quod Urbanus damnaverit ut illicitum: sed Alexander propter hoc ipsum damnat utraque propositionem addendo, *etiam post Decretum Urbani octavi*: ergo Alexander VII. supponit ut certum, esse ubique damnatam post Decretum Urbani, etiam ubi non est promulgatum.

Verum meo iudicio hoc argumentum non convincit; primo, quia qui audacter negant Urbani Decretum valere, ubi non est promulgatum, eadem pertinacia negabunt valere Decretum Alexandri, ubi non est promulgatum, & dicent Alexandrum damnare dictam opinionem respectu eorum tantum Fidelium, apud quos Decretum Urbani fuit promulgatum: si enim deficit promulgatio necessaria ad hoc, ut Decretum Urbani obliget, quomocumque fiant alie reflexe leges, si prima ex defectu conditionis non tenet, nec tenebit secunda supponens obligare primam, si respectu secundae deficit eadem conditio. Secundo, quia quomodo probat P. Cardenas Alexandrum damnasse dictam opinionem, quia haec supponebat leges Pontificias non obligare, nisi ubi sunt promulgatae, & non potius, quia Auctores illius dicebant tale Urbani Decretum? (de quo, & quid nunc liceat pro stipendio, lege P. Muncissam d. 33. de Incarn. & Euchar. a n. 104. P. Tamburinum de Sacrificio Missae lib. 3. cap. 1. §. 5. nec non Filgueir. in Censura pag. 123. P. de la Fuente disp. 24. a n. 43. Hozes a pag. 487. ad 506.) Decretum, inquam, damnas dictas opiniones de duplici pro una Missa stipendio, & de licentia retinendi sibi partem stipendij, data alteri Sacerdoti celebranti altera parte stipendij, dicebant, inquam, *tale Decretum non fuisse Pontificium*, sed Congregationis, licet ejus observantia fuerit a Papa precepta; atque adeo, esto sit gravissima autoritatis, non tamen excedere vim opinionis probabilis, & ideo licere cuique cum facultate sequi contrarium, ut inter alios aliqui, quorum loca, & verba citat P. Moya tom. 1. tr. 3. d. 8. q. 6. n. 2. expresse docent M. Acatus de Velasco, Delgadillo, Caillaingh. Tertiò, quia dici potest quod talis sententia Patroni hoc tantum docuerint de legibus Pontificijs, quoad vim coactivam, & poenalem, & quoad forum externum in ordine ad poenam, eas non obligare, nisi ubi sunt promulgatae: rursum de legibus Pontificijs pure legislativis, aut prohibitivis rei ex se indifferentis, non autem de declarativis; praesertim cum

ut supra §. 2. dixerim, iidem DD. rem hanc non accurate tractaverint, dividendo leges Pontificias in declarativas ex Cathedra, & in non tales; in prohibitivas objecti, quia in se mali, non autem in prohibitivas objecti mali, quia vetiti. Quarto, quia do DD. citatos locutos etiam de legibus Pontificijs ut declarativis, adhuc tamen eorum opinio non est antiquata; ratio est; quia haec propositio, lex Pontificia non obligat nisi ubi promulgata, potest habere duplicem sensum; primus est, *non obligat ex se*; secundus est, *non obligat ex lege naturali reflexa*: Qui dicit primum, non dicit certo falsum, nam nullum habet contra se principium certum: Alexander enim definiens *non licere accipere duplex stipendium post Decretum Urbani*, licet jure merito supponat Decretum Urbani obligare, non tamen decernit, an, ubi non est promulgatum, obliget, & multo minus, an, ubi non est promulgatum, obliget *ex se*, an ex lege naturali dictante, nullum cognitum ut certo illicitum potest esse regula morum: ergo cum Urbanus declaraverit esse illicitum recipere duplex stipendium, consequenter etiam, ubi Urbani Decretum non est promulgatum, obligantur omnes Sacerdotes non recipere duplex stipendium, quia obligantur non sequi pro regula morum quid certo illicitum, adeoque obligantur ex dicto principio naturali dictante, nullum certo illicitum potest esse regula morum. Ratio a priori est; quia haec propositio, *Lex Pontificia declarativa, & legislativa non obligat ex se, ubi non est promulgata*, optime cohaeret cum ista, *obligat tamen ex lege naturali, ubi non est promulgata*: sed haec propositio, *Lex Pontificia declarativa, & legislativa, seu prohibitiva objecti ex se mali, non obligat ex se, ubi non est promulgata, obligat tamen ex principio naturali*, non est contradictoria, aut contraria huic, *Decretum Urbani obligat ubi non est promulgatum*, quod est principium certum, cui P. Cardenas ait illam opponi, nam eo ipso, quod Alexander damnavit opinionem docentem licere Matrili (ubi certum est Decretum Urbani non fuisse promulgatum) recipere duplex stipendium post Decretum Urbani; & pauci AA. docentes hoc licere, hoc doceant, ut vult Card. quia Decretum Urbani non est Matrili promulgatum, eo ipso est certum, illud Urbani Decretum obligare etiam, ubi non est promulgatum: sed qui negat Decretum Urbani obligare *ex se*, ubi non est promulgatum, & affirmat, *obligare ex lege naturali* omnes scientes, ubi non est promulgatum, non negat obligare, ubi non est

P. Man-
Tamb.
P. de la
Fuente,
Filgue-
Hozes.

P. Moy.
M. Vel-
Delgad-
C. Caill.

P. Card.

est promulgatum, immò affirmat etiam ibi obligare, sed ex lege naturali: ergo opinio docens legem Pontificiam etiam declarativam, & prohibitivam alicujus ex se illiciti, non obligare, ubi non est promulgata, si addat, *ex se*, non est antiquata, immò valde probabilis. Porro DD. dictæ opinionis posse ita explicari, immò ita explicandos, patet mihi, tum quia nomine *legis* non venit declaratio, si in rigore loquamur, sed præceptum, aut prohibitio facta communitati; tum ex non divisione legum Pontificiarum; tum ex eo quod cum plerique ex illis admittant, ut infallibile, Papam esse visibilem fidei, & morum regulam, & quoque admittant, quod nullum certo illicitum possit esse regula morum, consequenter unicè negant: (si tamen de legibus Pontificijs declarativis, & prohibitivis objecti, quia mali, loquuntur, quod mihi valde dubium est, cum hujus divisionis non meminerint) negant, inquam, unicè leges Pontificias *ex se* obligare, ubi non sunt promulgatæ; non autem aliunde, si adit principium naturale obligans illis stare. Confirmo: quia de legibus Pontificijs loquuntur conformiter ad leges Civiles; sicut autem istæ, si prohibeant aliquid per legem naturalem illicitum, obligant etiam, ubi non sunt promulgatæ, non *ex se*, sed ex principio reflexo mali fugiendi, & boni amandi; ita in casu nostro.

N.
7-4

Dices: Hæc duæ propositiones sunt contradictoriæ, *Nulla lex Pontificia obligat, ubi non est promulgata; Decretum Urbani obligat, ubi non est promulgatum*; illa est Authorum, hæc est Alexandri: ergo illa est antiquata. Respondeo esse contradictorias primò, si prima ita explicetur, *Nulla lex Pontificia obligat nec ex se, nec ex alio titulo, ubi non est promulgata; Decretum Urbani obligat, ubi non est promulgatum*. Secundò, si ita explicetur secunda, *Decretum Urbani obligat ex se, ubi non est promulgatum*, & prima ita, *Nulla lex Pontificia obligat ex se, ubi non est promulgata*, sunt etiam contradictoriæ: at quis non videat illam, *Decretum Urbani obligat ex se, ubi non est promulgatum*, non esse propositionem Alexandri? Si autem ita explicentur, *nulla lex Pontificia obligat ex se, ubi non est promulgata; Decretum Urbani obligat, ubi non est promulgatum*, non sunt contradictoriæ, ut enim obliget, non est necesse ut obliget *ex se*, factis si ex alio capite; neque Alexander definivit *Decretum Urbani obligare ex se*, ubi non est promulgatum, sed unicè dixit obligare, & quidem non nisi æquivalenter hoc dixit, quatenus damnat oppositam suppositam ut veram.

Hinc concludo, quòd cum in his Decretis Papa, & declaret, dum damnat, & legem ferat, dum prohibet, ideo ex duplici capite Fideles tenentur obedire Decreto; quare, quatenus hæc damnatio est declaratoria, quilibet tenetur non defendere oppositum ex præcepto fidei, & ex lege naturali; quatenus prohibitiva, tenetur quisque ex lege naturali non praticare oppositum Decretis. Hæc dixisse sufficiat in materiâ à nemine, eo modo quo à nobis, agitatâ, & salvo meliori judicio; ut tanto magis faverem, tum Doctoribus, liberando à certa falsitate eorum opinionem, tum Pontifici, asserendo Fideles ubique obligari talibus Decretis, adhuc admissâ ut probabili sententiâ, quòd leges Pontificiæ non obligent, nisi ubi promulgatæ. Alia faciliora, an Papa possit supplicari, ut revocet, aut suspendat Decretum Innocentij, & aliorum Pontificum, quatenus est declarativum, prohibitivum, & poenale, cum facile ex dictis constet, non posse, nisi quatenus poenale, lege apud P. Card. tom. 4. diff. 1. a n. 211.

SECTIO III.

An omnis propositio damnata à Papâ ut scandalosa, sit eo ipso falsa.

SUMMARIUM.

Non queritur, an damnata à Papâ, ut scandalosa, sit scandalosa, ut certum est, sed an sit falsa? n. 76.

Æ Quo pede hoc in dubio subtilitas, & molestitia procedunt. Queritur, an ex eo quòd Papa damnet aliquam propositionem præcisè ut scandalosam, inferatur, non tantum non esse probabilem, sed esse certò improbabilem, seu certò falsam? Nota autem, aliud esse, an propositio damnata à Papâ, ut scandalosa, sit certò scandalosa, ita ut non tantum sit verum, sed etiam sit certum esse scandalosam: aliud, an propositio damnata à Papâ præcisè ut scandalosa, sit certò falsa, ita ut non tantum sit certum, sed etiam sit probabiliter saltem verum esse falsam. De primo nullum est dubium, ut constet ex dictis d. 1. sect. 4. ubi diximus de fide certum esse juxta nos, & certum Theologicè juxta plures alios, propositionem damnatam à Papâ ut scandalosam, esse talem. Quare tota difficultas est circa secundum; & quidem, ut constabit, res est valde dubia, & de eâ nemo ex professis tractat, nisi P. Card. tom. 1. d. 9. cap. 20. art. 8. & tom. 4. diff. 1. cap. 10. & obiter P. Moya tom. 1. tr. 3. P. Moy. d. 6. qu. 5. a n. 46. & d. 8. qu. 6. n. 22. Torrec. diff. 4. a n. 7. Lumbier tom. 3. a n. 1672. Lumb. Funda-

N.
76.

P. Card.

P. Moy.

Torrec.

Lumb.

Funda-